



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

466. An, dum Papa provisionem, electionem, confirmationem reservavit sibi, & ante emanatam hujusmodi particularem reservationem ad electionem processum fuit, adeoque valida fuit electio, validè dein ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

lacione cognoscit, quæ à confirmatione vel cassatione electionis est interposita, & iudicat bene appellatum esse, electionem vel confirmat vel cassat. *Pasf. loc. cit.*

Quæstio 465. An confirmator ordinarius, pendente lite super iure electionis, vel etiam ubi appellatum est ab electione, confirmare possit electum?

1. **R**espondeo primò: pendente lite de iure electionis, dum ea interim instituta est, confirmari non debet, antequam lis decidatur; sed nec infirmari; cum ejus vis suspensa sit, ac dependens à futuro eventu. *c. cum venissent. de in integ. restitut. Laym. ibidem n. 4.*

2. Respondeo secundò: si ab electione in Ecclesia cathedrali vel regulari celebrata, cujus confirmatio ad Ordinarium, nempe ad Archiepiscopum vel Episcopum pertinet ex causâ probabili (quæ si probetur, legitima seu iusta reputari debet) ad Sedem apostolicam in scriptis fuit appellatum, & Ordinarius nihilominus electionem confirmet, talis confirmatio irrita est, cum sit ab eo, qui non potuit, de facto præsumpta, nisi appellatus prius ab ipsa appellatione canonice (id est, sine pravitate) recesserit. *c. si postquam. de elect. in 6. Barbof. ibid. n. 1. Pirh. de elect. n. 313.* Ratio est, quia per appellationem, etiam extra iudicalem, ab electione ad Sedem apostolicam suspensa fuit jurisdictio inferioris iudicis Ordinarii, unde hæc appellatione pendente, talem electionem confirmare nequit, nisi appellante renunciantem suæ appellationi, per hunc ejus ab appellatione recessum recuperet Ordinarius jurisditionem seu potestatem confirmandi. *Pirh. loc. cit.*

3. Respondeo tertio: quòd si tamen ab electione non ad cathedralem vel regularem prælaturam appellatum non est ad Sedem apostolicam, sed ad alium inferiorem iudicem, sive extra, sive intra iudicium ante sententiam diffinitivam, nihil impedit, quò minus inferior seu Ordinarius, à quo appellatum, in causâ procedere possit, donec appareat, an Superior, ad quem appellatum, cognita veritate suâ rescindere velit juxta *c. non solum. §. illa verò. de appellat. in 6.* Siquidem id de electione ad cathedralem vel regularem statutum est; idque ob reverentiam Sedis apostolicæ, & quia causæ majores facilius devolvuntur ad Papam. *Pirh. loc. cit. Laym. l. c. n. 2. cum gl. in cir. c. si postquam. v. ad Sedem apostolicam.*

4. Procceditque id ipsum etiam, ubi legitime electus appellavit à confirmatore Ordinario, eò quòd id ipsum noluerit confirmare, ita ut pendente tali appellatione factâ ad Sedem apostolicam (secus, si ad alium inferiorem iudicem appellatum) confirmator etiam si jam velit, non possit eam confirmare valide. *Castellin. de elect. c. 16. n. 19. apud Donat. to. 2. tr. 6. q. 18. n. 2. nihilominus Portell. in dub. v. appellare, n. 8. apud eundem Donat. loc. cit. n. 1. tradit absolute posse in hoc casu adhuc confirmare valide confirmatorem illum Ordinarium, non obstante, quòd appellatio liget manus iudicis appellati, & prohibent amplius procedere; eò quòd appellatio introducta sit à iure in beneficium appellantis; quisque autem cedere possit iuri & beneficio suo. Item quia id non est contra finem & intentionem appellantis; imò correspondet ejus desiderio. Et licet appellatio suspendat jurisditionem iudicis, à quo appellatur, non tamen quòd ad tendentiam in faciliorem exitum causæ. verum videtur huic sententiæ obviare reverentia Sedis apostolicæ, ad quam appellatum,*

Quæstio 466. An, dum Papa provisionem (comprehendendo hoc nomine electionem, confirmationem, ut factum in c. si eo tempore. de elect. in 6.) Ecclesia alicujus suæ dispositioni reservavit, inhibens, ne ad electionem vel provisionem illius procedatur, & quid attentetur, sive scienter, sive ignoranter, an inquam, in hoc casu ante emanatam hujusmodi particularem reservationem ad electionem in tali Ecclesia fuerit processum, adeoque valida sit electio, utpote antecedens illud decretum reservationis, valide dein post emanatam illam reservationem possit confirmari ab inferiore, nihil adhuc sciente de illa reservatione.

Respondeo affirmative, si sermo est, non de Ecclesiis cathedralibus, sed Prælaturis inferioribus; ubi enim in his præcessit canonica electio reservationem, adeoque jam valida est, quidquid postea faciendum restat, expediri potest per Ordinarium, nec opus est pro confirmatione adire Papam; siquidem quod in contrarium statutum, nempe ut post electionis talis validæ confirmatio aliqua circa illam gesta etiam ab ignorantibus illam reservationem post illius emanationem, id inquam, solum locum habet in Ecclesiis cathedralibus, de quibus duntaxat loquitur *c. si eo tempore. de elect. in 6. Pirh. de elect. n. 330. juncto n. 329. Laym. in cir. c. si eo temp. n. 2. citans gl. in idem. c. v. cathedralis. Franc. ibid. n. 2. & Garc. de benef. p. 4. c. 3. n. 20. & 40.*

Quæstio 467. An confirmandus electus in discordia?

1. **R**espondeo, electum in magna discordia, etiam si ejus electio facta à majore parte eligentium, sine magno tamen excessu votorum, confirmari non debere, tradit Donat. *to. 2. tr. 7. q. 9. n. 5. citans gl. in c. si quando. de el. in 6. (quæ tamen glossa nihil de hoc, ut Pasf. mox citand.) Sylv. v. confirmatio. Castell. de elect. c. 14. n. 58. Azor. q. 2. l. 6. de 4. decalog. prac. ratio illius est evitatio futurarum discordiarum, quæ religionem tranquillitatem everunt. Idque ut ait Donat. ex Castell. loc. cit. præcipue, ubi electus est vir cholericus, memor injuriarum, & vindicativus.*

2. Verum hanc sententiam non tenere in electione, in qua servanda forma *c. quia propter.* ad validitatem electionis requirentis, ut quis electus sit à majore parte capituli; nec esse conformem communi DD. asserentium, electum à majore parte, si non adsit defectus in electione vel persona electi, esse confirmandum, asserit Pasf. *de elect. c. 33. n. 128. eò quòd quantumcunque discordia in eligendo sit magna, si proveniat à bono zelo, non sit reprehensibilis. c. ult. d. 63. & c. 17. 8. q. 1. unde non sit, cur cassetur electio talis in discordia habita (maximè, si discordia nõ fuerit ex culpa electi) nisi forte in casu aliquo particulari per accidens immerneret ex confirmatione grave damnum & scandalum, quod per se non immineret ex eo, quòd electio facta sit in discordia. Ad hæc, ut Pasf. n. 129. cum in iis, quæ sunt à plurius jure collegii, id quod fit à majore parte, fieri censetur à toto capitulo, argumento *c. in causis. de elect. c. ad aures. de bis quæ vi. ut Barbof. ad c. bonæ. de presul. n. 6. Archid. in c. Nicena. d. 31. Electio canonica, utpote quæ fit in re collegii, censetur ad hæc con-**